

Christian Schlee Henning Burfitz

Theoremata Theologica De Persona Christi


Rostochii: Reusner, 1605

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756814391>

Druck Freier  Zugang



Schlee
Chr. Hedanus
R. U. theol. 1605.



93 1605

26

THEOREMATA
THEOLOGICA
DE PERSONA
CHRISTI,

Eodem Duce & Auspice,
Reverendi Collegij Theologici autoritate,
In Academiâ ROSTOCHIENSI,

SUB PRAESIDIO
M. CHRISTIANI SLEDANI
ROSTOCHIENSIS,

Ad disputandum proposita

AB

HENNINGO BURFITZIO, Sund.
Pom. S.S. Th. Stud.



ROSTOCHII

Apud Christoph. Reusnerum. 1605.



Viris

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS QVE,

D. HENRICO BVCHOVIO I. V. D.
celeberrimo,

DN. BERTRAMO HÖIERO,
DN. HENNINGO PAROVIO;

Inclytæ STRALESVNDENSIVM Politicæ patriæ Con-
sulibus spectatissimis, dignissimis;

NEC NON

Reverendis, doctissimis, humanissimisq;

DN. LVCÆ PYLIO, Verbi DEI in æde Ma-
rianâ apud Sundenses ministro vigilantissimo,
amirino suo dilectissimo,

ET

DN. M. ARNOLDO STAPPENBEC-
CIO, Diacono Ecclesiæ Stralesundensis, quæ
est ad D. Iacobum, fidelissimo, at-
fini suo longè charissimo,

*Dominis Mæcenatibus, Promotoribus magnis, fautoribus atq; patronis
certissimis, omni pietatis, observantiæ, honoris atq; obsequij
studio perpetuum colendis,*

Hæc suas Theologicas positiones in debitæ observan-
tiæ & honoris *μνημόσυνον,*
dicat vovetq;

HENNINGVS BVRFITZ. *Sund.*
Pom. SS. Theol. Stud.



CONTINUATIO.

Essentia isthac, ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ, Sapientum monumentis, ceu qua de caelo esset lapsa, decantata, templo Delphico olim inscripta fuisse perhibetur. Quam tamen nec ipsi Sapientes oraculi hujus pracones intellexerunt satis, nec satis explicare valuerunt. Christiana verò Doctrina hoc, quid dictum sit, sola nos unice ac perfectè ex LEGE edocet, monstrando nobis & PECCATI nostri magnitudinem ac deformitatem, & ARBITRII Liberi sive nullitatem sive exilitatem; uti tribus superioribus disputationibus hosce de Lege, Peccato, & Libero Arbitrio articulos expeditivimus. Nunc natura ordinem insecuturi, Medicum ex EVANGELIO quaramus necesse est. Illo enim opus est ijs, qui male valent, & his utilis est idem, qui suum morbum agnoscunt, seq. praebeant sanabiles, Matth. 9. 12. Medicus iste IESVS CHRISTVS est; is tùm quod adest malum in naturâ, tollit ac sanat; tùm quod deest bonum in viribus nostris, supplet ac perficit. Quae quidem beneficia nobis impertit Christus à nobis cognitus, non spreus aut neglectus. Ipsius enim cognitio est scientia salutis, Luc. 1. 77. ut non nisi hac sui notitiâ justificari Es. 53. 11. & aeternum servari Ioh. 17. 3. mortalium quispiam possit. Vnde Bernhardus Serm. 10. in Cantic. venuste commentatur: Originem fontium & fluminum omnium mare esse; Virtutum & Scientiarum Dominum IESVM CHRISTVM.

De Servatoris igitur hujus nostri PERSONA paucis quaedam Theoremata secundum diatyposin libri Christianae Concordia in Artic. 8. pie servatam dogmatizans, àm. ἐκ ἀλλογενῶς propositurus atq. explicaturus, principio cum Divo Augustino CHRISTVM precor, ut, qui mihi usq. dedit, NOSSE ME, det & NOSSE SE.

THEOREMA PRIMVM.
Qui lapsum genus humanum restauravit, est
Secunda Trinitatis Persona.

1. Quoniam reparatio generis humani est opus DEI (ut Theologi loquuntur) ad extra ; itaq; nec ab eo ipso, siue Pater, siue Spiritus Sanctus fuerit separandus: sed est, ut in ceteris, ita in hoc quoq; opere suum cuiq; persone Trinitatis opus singulare; quod nimirum PATER donavit ac misit Filium suum; Gal. 4.4. Ioh. 3.16. SPIRITVS SANCTVS seminalem virginis Mariae massam, ex qua Filius nasciturus erat, mundavit & sanctificavit, Luc. 1. 33. Solus autem FILIVS humanam naturam assumpsit, suamq; immaculatam sanguinem Patri per Spiritum Sanctum obtulit. Ebr. 2. 14.
2. Inde recte Maxentius: Non, ait, Trinitatem, sed unum ex Trinitate genuit Maria. Quis vero ille genitus sit, Augustinus porro de Dogmat. Eccl. cap. 2. edisserit: Non pater carnem assumpsit, nec Spiritus Sanctus; sed Filius tantum, & quidem, (ut Toletani secundi Concilij verbis utar) in singularitatem personae, non in unitatem Divinae naturae.
3. Qua autem causa sit, quod Secunda potius in Trinitate persona, quam Pater aut Spiritus Sanctus opus illud redemptionis perficiendum in se subierit, ejus rei rationes suaves Athanasius de humanitate Verbi exponit. Et Irenaeus lib. 3. cap. 20. pie hanc adducit causam, ut scilicet nos, qui eramus naturam filij irae, adoptionem filiorum DEI recuperaremus, cujus non nisi is nobis dare potuit potestatem, quam qui naturam erat Filius DEI, in quo Patri fuit complacitum Matth. 3. nosq; gratos sibi reddit Eph. 1.

THEOREMA SECVNDVM.
Hic noster Instaurator ac Salvator est verus
Naturam DEVS.

EX JEPTIS.

1. Circa Theorema propositum non semper in Ecclesia unus fuit controversiae status, sed varie secundum varia certamina subinde fuit transpo-

transpositus. Et commodissime, quidem Hæretici, qui divinitatem Christi impugnârunt, ad tres ordines revocantur, ut pote quod eorum alij ἀνομοιοι, alij ἑτεροδοτοι, alij deniq; ἀνόμοιοι ab hærescos sua professione denominari possint. Quos singulos ut sigillatim ex scriptis V. & N. T. refellere nimis foret prolixum; ita universos universim oppugnat initium Evangelij secundum Iohannem, quod augusto Theologia nomine Veteres indigitârunt.

2. Qui locus verè classicus duplex (ut à Theologis recentioribus fuit observatum) argumentorum genus ad Divinâ naturam in Christo, Patri Spirituiq; S. planè ὁμοῶς καὶ συναΐδιον astruendam nobis suppeditat, & quò cætera argumenta omnia totius Scripturæ, quæ ad hanc thesin defendendam vulgò afferuntur, penè infinita, reduci possunt. Alterum sumitur à P R I O R E, alterum à P O S T E R I O R E.

3. A P R I O R E tria producit Evangelista.

I. Ab essentiali Dei proprietate; Quia λόγος est ἀρχὴ ἀναρχος καὶ ἀχρονος, semper fuit, & nunquam non fuit, etiam antequam creatura ulla fuit.

II. Ab internâ & characteristicâ Dei proprietate; Quia λόγος ante secula conditus, erat πρὸς Θεόν non sicut Angeli vel beati, locatione quadam nunc apud Deum sunt, sed ita ut nihil planè inter DEVM & λόγον distingueret, ut locatione quavis distare possent, sed λόγος intra ipsam DEVM (hæc enim iudicatur præpositionis πρὸς cum verbo ἐσι junctæ emphasis) erat. Adeoq; DEVS Pater nec cogitari, nec esse, nec agnosci, sine λόγῳ poterat, ut ita λόγος ad τὸ πληρώμα τῆς Θεότητος pertineat.

III. Ab indubitato Spiritus Sancti effato, qui per Evangelistam expresse ait: Et λόγος erat DEVS.

4. A P O S T E R I O R E itidem Evangelista Iohannes allegato capite primo convincit, Christum naturâ esse DEVM, suntq; hujus generis argumenta ab ipso posita, alia ἐν λέξει, alia ἀπὸ χειρῶν.

5. A R T I F I C I A L I A petuntur partim ex universali ac generali

DEI operatione, partim ex particulari & singulari Ecclesia gubernatione; Illa sumuntur tum ab opere creationis; quia λόγος omnia ex nihilo creavit, tum ab opere conservationis; quia λόγος vitam & in se ipso habet ἐνεργητικὴν & ceteris animatis indies largitur παθητικὴν; Hac ducuntur partim à liberatione Ecclesiae; quia λόγος genus humanum instauravit, èq; densissimis inferni tenebris ad caelestem lucem reduxit: partim ab Ecclesia propagatione & collectione; quia λόγος ceu vera lux in tenebris lucet, hoc est, arcanum DEI decretum de hominum salute aeternis temporibus tacitum è sinu Patris promulgavit.

6. Ἀρχὴν unum est, quod à Iohannis Baptista testimonio mutuatur, qui ut à DEO patre in Christi Baptismate audiverat, hunc esse verum DEI filium; Matth. 3. 17. ita publicum huius vocis celestis delata testimonium in omnibus concionibus praeiit.

THEOREMA TERTIVM.

Est & verus HOMO,

1. Non minus verè quàm piè Hilarius contendit, ejusdem esse periculi rem, in Christo vel Divinitatè vel Carnè nostri corporis negare. In victè igitur adhuc assertà divinà in Christo naturà, itidem nobis infinita propemodum suppetunt argumenta Humanam Christi naturam indubitato demonstrantia; qua iterum Iohannes in initio sui Evangelij ad demonstrationes Ἰσθὶ καὶ Ἰσθὶ revocat.
2. Demonstrationem Ἰσθὶ conficit I. terminus CARNIS, in propositione, Verbum Caro factum est. Quam vocem eo loco si maxime sophisticari velimus, non tamen possumus nisi de perfecto homine, animà & corpore cumq; suis proprietatibus essentialibus constante juxta scriptura phrasin interpretari. II. terminus ἐνεργησις, qui quasi digitum in Christi γενεσιν & genealogiam seu conceptionem, formationem, gestationem & nativitatem, adeoq; veram humanitatem intendit.

Demon-

3. Demonstratio, ἥ ὅλ' latet tūm in verbo ἐοικῆσθαι, habitavit in nobis, tūm in voce ἰδεῖσθαι, & Oculis vidimus.
4. Sed missis istis argumentorum generibus fusiū alibi deductis & explicatis, libet nunc Theorema positum, quasi in partes suas, particulatim resolutū, secundum ea, qua de veritate humana natura prædicantur, explicare, & PRIM A quidem pars essentialis οὐσα in hominis est CORPVS: quo qui Christum esse præditum dubitat unā operā uiversam Evangelistarum historiam de eius conceptione, nativitate, captivitate, crucifixione, sepulturā, resurrectione &c. negat. Deinde membra corporea, uī manus, pedes, ossa, linguam, aures, dorsum, faciem, sanguinem, &c. Scriptura passim Christo tribuit Esa. 50. & 53. Psal. 22.
5. Nec verò Corpus Christi fuit imaginarium seu phantasticum, quod cū hominis spectrum tantū externis sensibus ἴδοντο apparuerit, uti Marcionita olim acclararunt. Quam phantasiā Salvator ipse ἐγὼ καὶ ὄψατο refellit, Matth. 14. 26. Mar. 6. 49. Quo & sententia illa Heb. 2. 14. refertur.
6. Nec cum Valentiniānis comminiscamur Corpus Christi fuisse quidem solidum corpus, at non ex Maria visceribus conceptum & natum; sed vel ex nihilo, vel ex materiā sive sydereā, sive elementari, sive quavis aliā prius formatum, postmodū fuisse in uterū Maria virginis inclusum, adeoq; ἐτεροδοτικόν corpus Christi esse à nostra carne. Quia sicut pueri ita & Filius DE I similiter participes factus est carnis & sanguinis Heb. 2. 14. & Abrahā semen apprehendit Ebr. 2. 16. & quidem non nisi in utero virginis. Matth. 1. Quod IN EA natum est, è Spiritu S. est. Quā, si ἑτεροδοτικὰ carnis Christi & natura nostra esset credenda, omnino forent ementita.
7. Nec Corpus hoc suū à Resurrectione in glorificatione Christum depossuisse cum Eurychianis & Suenckfeldianis somniemus. Etenim ex mortuis resurgens veritatem corporis sui manibus palpandam & oculis conspiciendam Apostolis præbuit Luc. 24. 39. Et nunc
hodie

- hodie in Eucharistiâ ad extremi judicij diem usq; corpus illud suum olim in mortem pro nobis traditum jubet distribui & manducari. 1. Cor. 11. 26. Et sicut corpore visus est in cœlestem gloriam assumptus, ita eodem corpore ad judicium Christum esse rediturum Angelus prænunciat. Act. 1. 11. nec cum alio Christo, nisi cum hoc incarnato, ad judicium venturo, in vitâ aternâ illâ alterâ vivemus 1. Thess. 4. 17. Majestas enim carni communicata gloriam corpori dedit, veritatem non abstulit. Valeat igitur illud usitatum Theologorum αἰτιμα: Humanam naturam, quam λόγος semel assumpsit, in æternum non deponet.
6. ALTERA pars hominis φυσικὴ est ANIMA; quam in Christo incarnato fuisse negant Arriani, negant & Apollinarista, sed hoc discrimine; quòd illi corpus Christi πνευματικόν omni omnino animâ destitutum, hi αλογον, hoc est, solâ mente intelligenti carens, brutis simile opinentur. Quod somnium non modò expressis Scripturarum testimonijs, qua disertè animam Christo tribuunt, refellitur. Matth. 26. 38. Ioh. 10. 18. & 19. 30; Sed & nostram assertionem hanc Orthodoxam probant τὸ διανοητικόν, θελητικόν, ἠτιμητικόν, θυμητικόν, αἰσθητικόν, κινήτικόν καὶ θεπερικόν, qua sunt anima humanae facultates, quibus Christum fuisse præditum, paucis ex scripturâ edoccebitur.
7. Τὸ Διανοητικόν quidem seu facultatem animæ intellectivam, simplicia concipientem, concepta componentem & dividentem, de q; his ratiocinantem liquido demonstrat Vnctio, quòd Christus Spiritu sapientia & intelligentia secundum naturam humanam unctus perhibetur Esa. 11. 3. Idem evincitur ex Evangelistâ & Propheta aſſervatione; Hic Christum ait didicisse reprobare malum & eligere bonum Esa. 7. 10. Ille atate & sapientiâ ipsum profecisse testatur. Luc. 2. 52.
8. Τὸ Θελητικόν seu Facultatem volendi humanam, à divinâ non quidem aversa, sed omnino tamen distinctam, Salvator ipse innuit. Ioh. 6. 39. Et c. s. v. 30. Descendi de cœlo, non ut voluntatem meam facerem, sed voluntatem Patris, qui me misit. Εἰπ.

9. Ἐπιθυμητὸν in Christo fuisse argumento est, quòd esuriverit Matth. 4. 2. quòd sitiverit, Ioh. 19. 28. quòd pascha manducare summe desideraverit Luc. 22. v. 5. quòd gavisus fuerit & Spiritu exultaverit. Luc. 10. 21.
10. Θυμὸν ἡμεῶν Salvatoris Irà, marci 3. 5. tristitià Matth. 26. 38. fletu. Ioh. 11. 25. Luc. 19. 41. horrore Ioh. 12. 27. fremitu Ioh. 11. 33. ceterisq; passionibus abundè satis declaratur.
11. De ceteris anime potentijs ac viribus inferioribus, utpote sensitivis, locomotivis, & nutritivis, cuiq; Evangelicam historiam non dicam accuratè legenti, sed tantummodò obiter quasi inspicienti dubium nullum esse potest.
12. TERTIO ad integritatem ac veritatem humana natura in Christo astruendam videntur etià pertinere ACTIONES seu operationes humana, quas tota sacra scriptura humanitati Christi attribuit, uti ex modo commemoratis facile est colligere. Quibus & illud apponimus, quod Iohannes inquit: Λόγος & ἐσχίθησθε, habitavit seu conversatus est inter nos: quod etiam Apostolus prolixè pertractat Phil. 2. 7. In similitudine hominum factus, & σχήματι inventus ut homo, hoc est, Christus in conversatione inter homines gestibus, affectibus, totiusq; adèò vitæ humanæ actionibus ita se gessit, non quasi esset aliquis ex reliquorum hominum sorte exemptus, sed ut quisq; alius ex medio hominum.
13. Monothelæ contra, unam ut voluntatem, ita & ἐνέργειαν homini Christo inesse finxerunt. In quos illud Damasceni lib. 3. cap. 15. de Orthod. fide retorquemus; Quorum ἐνέργεια una est, eorum una est natura. Atquè idem Damascenus cap. 28. lib. 3. sciisciant, num necne divina & humana ista ἐνέργεια inter se in Christo pugnent? piè respondet: τὸ ἡγεμονικὸν anima Christi esse ἡγεμονικόν ἀ divinitate λόγος; ita ut mens humana Christi ea cogitet, voluntas ea velit, caro ea operetur, qua λόγος ipsam & cogitare & velle & operari vult.
14. QUARTO nec PASSIONES seu infirmitates erunt à veritate humana

humana natura eximenda. Scholastici eruditè discernant inter infirmitates humanas personales, qualis est cecitas, lepra, morbi, &c. & naturales, quae peccatricem naturam immediatè comitantur. De posterioris generis infirmitatibus pronunciamus, fuisse istis Christum obnoxium, & hoc est quod Paulus nominat Similitudinem carnis peccati Rom. 8. 4. & servi formam Phil. 2. 7.

15. Manichai quidem opinantur $\text{\textcircled{E}}$ dōxov Christum fuisse passum, sed est illud enunciatum & in Christi meritum blasphemum, & in conscientias nostras anxias injuriosum. In Christi quidem meritum; is enim ut non putativè, sed verè factus est in viventem hominem Heb. 2. 14. ita & passionum ac infirmitatum non simulatè, sed verè est particeps factus Esa. 53. v. 4. Verè languores nostros portavit. In conscientias nostras; quippe quibus solida omnis consolatio, quam à Christi $\text{\textcircled{C}}\mu\mu\mu\mu\mu\mu\mu\mu\mu\mu$, Epistola ad Heb. cap. 4. v. 15. suaviter ducit, sacrilegè adimitur, si Christus fictè & simulatè in phantasmate fuerit tentatus.

16. DENIQ, solum peccatum excipimus, à quo humanam Christi naturam penitus immunem confitemur. Etenim Spiritus Sanctus virginis viscera, ut, quod ex ijs nasceretur, sanctum esset ab omni peccati labe, mundavit & sanctificavit Luc. 1. 35. Et non modò peccatum non fuit in Christo 1. Ioh. 3. 5. sed ne novit quidem peccatum 2. Cor. 5. 21. ac proinde meritisimè dicitur, quod sit immaculatus, incontaminatus, 1. Pet. 1. 19. sanctus, innocens, impollutus, à peccatoribus segregatus Ebr. 7. 26. Atq, haec summatim de Naturà Humanà in Christo dicta sufficient.

THEOREMA QVARTVM
Deum & Hominem esse nostrum Servatorem necesse erat.

1. Cum genus humanum lapsum restaurare & servare nec sine divina natura maiestate posset humana natura infirmitas, nec sine humilitate maiestas; conveniens juxta ac necessarium erat operi redemption-

- demptionis, ut redemptor noster Christus divina & humana creata & increata esset natura. Humana quidem; ut qua natura Deum offenderat, eadem & placaret; Divina verò; ut inter culpam infinitam & meritum infinitum justa intercederet proportio.
2. Qui volet plures causas cognoscere, cur necesse fuerit mediatorem esse & Deum & hominem, pias & eruditas plurium Patrum orthodoxorum sententias à Dn. D. Chemnitio in lib. de duabus naturis in Christo collectas legere potest.

THEOREMA QUINTVM.

Sunt verò duæ istæ Naturæ, Divina & Humana, in Christo VNITÆ.

1. Dnas naturas toto genere diversissimas in nostro Redemptore & esse & esse debere, abunde usq. fuit demonstratum. Restat ut easdē non à se separatas & disjunctas, sed conjunctissimè inter se conjunctas & unitas demonstremus. Hac enim est Scripturæ vox, quæ affirmat, VNVM esse Mediatorem Dei & hominum 1. Tim. 2. 5. VNVM esse Christum pro omnibus mortuum 2. Cor. 5. 14. Ecclesiam VNI viro esse desponsatam. 2. Cor. 11. 2.
2. Sed sunt & alia Scripturarum testimonia, quæ naturarum unionem factam nos credere jubent. Heb. 2. 16. Filius DEI assumpsit semen Abrahæ. Colos. 2. 9. Plenitudo DEItatis habitat in Christo. Act. 10. 38. Deus erat cum Christo 2. Cor. 5. 19. DEVS erat in Christo.
3. Et in primis est locus ille Iohannis, Verbum caro factum est, illustris. Quando enim alterum fit alterum, id fit vel $\alpha\mu\epsilon\tau\alpha\lambda\lambda\alpha\sigma\iota\alpha\upsilon$ secundum substantialem rei subsistentiæ immutationem, quando unius corruptio fit alterius generatio, sive per naturam, ut cum ex ovo fit gallina, sive per miraculum, ut aqua facta est vinum Ioh. 2. 8. (Hoc modo $\lambda\omicron\gamma\omicron$ non est factus caro, quasi divina natura abierit planè & mutata sit in humanam naturam. Est enim DEVS immutabilis Malach. 3. 6. psal. 102.) Vel sit $\alpha\mu\epsilon\tau\alpha\lambda\lambda\alpha\sigma\iota\alpha\upsilon$, quando duo vel plura conjunguntur, nulla intercedente

dente rei mutatione: sic Verbum fit Caro, non confusione natura-
rum, sed earundem unione; uti Epistola ad Heb. cap. 2. tribus
emphaticis verbis illud ἰὸ ἐγένετο, Factum est, Evangelista explicat,
docens: DEVM ita esse hominem factum, ut I. sibi communi-
caverit de carne & sanguine v. 14. II. carnis & sanguinis fa-
ctus sit particeps v. 14. III. assumpserit semen Abraha. v. 16.
Non igitur natura divina conversione, sed humana assumptione
Verbum est Caro factum.

4. Insuper & eandem Evangelista enunciationem libet cum alijs
Theologis ex consimili penè loquendi modo explicare. Cum enim
Moses anima & corporis in primo Adamo unionem personalem
describere vult, illud, inquit, quod ex limo terra jam erat forma-
tum, factum est in animā viventē Gen. 2. nec tamen corpus illud
limosum est in animam confusum & conversum: sed corpus &
animam esse in unam personam unita, Moses istā phrasi innuit; ita
quoq; Evangelista de naturarum in Christo non confusione, non
conversione, sed unione loquitur. Nec quicquam ad rem facit,
quod Moses cum prepositione in casu obliquo pronunciet, caro li-
mosa seu terrena est facta in animam, secus quam Iohannes qui in
casu recto dicit, Verbum esse factum carnem: parem enim esse
utriusq; huius enunciationis rationem testatur Apostolus
1. Cor. 15. v. 45.

THEOREMA SEXTVM
Ac quidem in primo Conceptionis momento
sunt Unitæ Naturæ.

1. Eutychis delirium fuit, primò esse separatim creatam naturam
humanam, & postea assumptam, vel potius à divinitate absor-
ptam. Verùm Catholicam confessionem nostram recitat Damasce-
nus lib. 3. cap. 2. ἀμα σὰρξ, ἀμα θεῶς λόγος σὰρξ, ἀμα σὰρξ ἐμψυχὸν
λογικὴν, Et cap. 12. lib. 3. Tria in incarnatione simul esse facta
ostendit: Natura nimirum humana πρὸς ἄληψιν, ὑπαρξίαν, θεωσιν.
Causa

Causa verò propositi theoremat is non simpliciter Damasceni auctoritate innuitur, sed in Scripturâ fundatur; qua persona non dualitatem, sed unitatem, quam caro à λόγῳ non habuit, non habet, non habebit, diversam, nedum separatam docet.

THEOREMA SEPTIMUM.

Nec in parte duntaxat sunt Naturæ Vnitæ,
sed Tota totam in totum assumpsit.

1. Synodus Chalcedonensis verbis significantissimis declarat unitas esse naturas in Christo κατ' ἑσώτασιν, ἀσυγχύτως, ἀτετέλιως, ἀναδιαιώτως, ἀδιαγέτως, ἀχώριστως, ἀδιασπάρτως, absq; confusione, mutatione, alteratione, divisione, separatione, distractione; Quarum determinationum tres priores Eutychetis confusione, posteriores tres Nestorij disjunctioni opposita sunt.
2. Nec verò hoc unionis vinculum est adeò arctum & indissolubile ratione tantum loci, temporis, vel alterius cuiusdam accidentis: sed ratione istarum naturarum, qua in tantum sunt copulata & unita, ut non portio duntaxat quadam carnis facta sit particeps divinitatis, nec portio λόγῳ sit solum incarnata: Verum Totus homo Christus est DEVS, & Totus DEVS Christus est homo factus. Id quod Apostolus testatur Col. 2. 9. πᾶν τὸ πλήρωμα; **TOTALI PLENITUDO DEITATIS** habitat in Christo.
3. Propterea Cyrillus anathem. 3. unionem istam dixit ἑσώδη καὶ φυσικῶν respectu sc. rerū unitarū. Et Damascenus nominare consuevit ἁεχάριστον: Et Patres explicarunt simili à ferro ignito & imprimis à copulatione anima cum corpore personali. Ut enim anima per unionem non unam vel alteram corporis partem occupat & animat; sed singula membra ab animâ suas vires vitales accipiunt absq; omni naturarum anima & corporis confusione & conversione: ita assumpta humana natura λόγον capit, adeò non ut continens recipit contentum, vas vinum, uti Nyssenius apud Theodoretum dial. 2. inquit, sed tota natura humana totum λόγον, ut

Orig. lib. 4. c. 6. loquitur. DEVS enim, ubicunq; est, in seipso totus est: Sed illi, in quibus habitat, eum non ex toto capiunt, sed ab aliis minus, ab aliis plus capitur. De capite verò nostro Christo Apostolus inquit: In ipso inhabitavit omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.

4. Inde adeò orta sunt propositiones ista verissima, quod non modò Christus Homo dicatur Θεός & Christus DEVS, Θεοσφός: sed etiam Christus Homo verè & realiter sit DEVS & Dominus de cælo 1. Cor. 15. 47. Et Christus DEVS sit verè & realiter Homo; Maria sit Θεοτόκος & Mater Iehouæ; Luc. 1. 43. ac Filius DEI natus ex muliere, Galat. 4. 4. & DEVS sanguine suo redemisse Ecclesiam Act. 20. 28. dicatur.

THEOREMA OCTAVVM.

Et hæc Naturarum Unio non nisi in Hypostasi λόγος est facta; unde Unio Hypostatica denominata.

1. Varia à Scholasticis & Patribus fuerunt conquesta similitudines, quibus Vnionis hujus naturarum in Christo factæ modum ostenderent, sed ne unum usq; simile potuit unionis ejusmodi exemplum tota Antiquitas ex totâ rerum universitate proferre, cujusmodi hæc est in Christo. Quod si enim singulos unionum modos tum Physicos tum hyperphysicos perlustrarem, res quidem esset manifestissima, quod unio isthæc ad nullum omnino modum referri posset, de quibus, brevitatæ causâ hîc omisiss, in discursu disputationis.
2. Nunc tantum qua sit differentia hujus Vnionis vera explicabimus. Verbo dico esse HYPOSTATICAM. Assertionem nostram hac ratione demonstramus:
- Omnis unio in communi termino subsistit.
Divina & humana natura Christi uniuntur.
E. unum eumq; communem habebit utraq; terminum, in quo unita

unita sunt. Si sic, res isthac ἐνοπιός, in quâ conveniunt & uniu-
 tur, est vel Natura, vel Persona, (hac enim ab illâ etsi non
 τῶ ἐνοίᾳ, tamen τῶ λόγῳ differt) vel utriusq; Proprium, vel Acci-
 dens. Non simpliciter Natura; præterquam enim quod hoc modo
 Eutychetis sententia patrocinareretur, qui unam duntaxat na-
 turam finxit. Accedit quod natura absolute considerata sit sin-
 gulis personis in Trinitate una & communis. Non Proprium;
 itidem enim alterius nature idiomata abolerentur. Non Acci-
 dens; quod est absurdo absurdius. Restat terminus ἐνοπιός Per-
 sona seu hypostasis τῆς λόγῳ, in quâ πρῶτος (ἐστὶν enim δευτέρος & con-
 sequenter hanc unionem terminat) factam esse Naturarum Unio-
 nem necesse erit. Vnde in Symbolo Athanasiano: Christus est
 unus non conversione divinitatis in humanitatem, sed assump-
 tione humanitatis in DEVM. Unus omninò non confusione sub-
 stantiæ, sed unitate personæ. In personâ igitur factam esse unio-
 nem est demonstratum.

3. At in quâ personâ? humanâ & creatâ, an divinâ & increatâ?
 DIVINAM esse illud principium ἐνοπιόν porro erit probandum.
 Caro enim Christi, etsi est omnibus partibus suis essentialibus
 perfectissima, ut suprâ evicimus, non tamen per seipsam aut est,
 aut unquam peculiare fuit aliquod ὑφιστάμενον, sicut natura humana
 in Petro & Iohanne, sed subsistit in alienâ, increatâ scilicet τῆς λόγῳ
 ὑποστάσει. Etenim non caro λόγῳ, sed λόγῳ & carnem ὑπὸ πλάμειναι.
 Heb. 2. 16. & ex consequenti, non λόγῳ ab Homine, sed Homo
 à λόγῳ fuit assumptus. Assumptus autem non fuit ante assumptio-
 nem, ait Theodor. dial. 2.
4. Deinde si caro haberet propriam, peculiarem, finitam ac creatam
 quandam subsistentiam, existentiam, sive personalitatem, ex eo
 duplex necessariò credenda esset unio personalis in Christo, una
 λόγῳ & carnis assumptæ, altera animæ & corporis, sicq; Quater-
 nitas, non Trinitas in DEltate statueretur. Id verò credere
 religio nobis est, Δόγῳ verò jam inde ab omni æternitate propri-
 am, in-

am, infinitam, ac increatam personalitatem per aeternam generationem à Patre habuit: quæ in temporis plenitudine non ex defectus sui necessitate, sed ex affectus in nos caritate facta est hypostasis carnis, per naturarum communicationem: Vt quæ persona ab aeterno fuit ἀσπαρη, nunc sit ἐνοσση; quæ fuit ἀσυνδε-
 1. nunc sit σύνδεσ in duabus naturis subsistens; quæ per se est ἀνωτιστά, facta sit ἐνωτιστά. Sicut Latina Ecclesia canit, Sum, quod eram; nec eram, quod sum; nunc dicor utrumq̃.

5. Habemus igitur specificam Unionis duarum naturarum in Christo differentiam, quod ista in unâ ceu communi indivisâ personâ & hypostasi, non eâ quidem creatâ & finitâ, sed in infinitâ & aeternâ, quam λόγος à Patre & S. S. in Trinitate distinctam habet, sint unita.
9. Et quoniam persona sit communis terminus, in quo uniantur distincta natura: habeant vero suam denominationem voces à rebus ipsis; exinde Unio hæc naturarum vulgò nominatur personalis & hypostatica; de quâ unione personali Apostolus loquitur Col. 2. 9. Tota plenitudo DEItatis habitavit in Christo σωματικώς;

THEOREMA NONVM,

Est igitur unio hypostatica, duarum naturarum conjunctio quâ humana natura in sese considerata, nobis absq; peccato similis & consubstantialis in ipsam hypostasin Filij DEI fuit assumpta, ut sit una persona, DEVS & Homo Christus: qui secundum personam essentiam & proprietates suas sese totum in totum toti ac integræ naturæ humanæ sine naturarum vel proprietatum conversione, exæquatione & confusione communicavit.

1. Ex superioribus Theorematis hucusq; explicatis, quemadmodum de-
 scriptio-

scriptionem unionis hypostaticæ populari modo proposuimus; ita e-
jusdem fundamenta exinde, qui volet, nobiscum cognoscere potest.
Exactiorem & ad regulas logicas accommodatiorem definitio-
nem qui asserere poterit, ab eo eandem discere satagimus.

2. Laborarunt quidem de eâ Theologi summi, sed præter ceteros suam
quoq; laudem promeriti sunt Dn. D. Chemnitius & Præceptor
noster p. m. D. Gesnerus, qui ex Scripturarum & Patrum testi-
monijs extractam Unionis Hypostaticæ definitionem Ecclesiis nostris
reliquerunt.

THEOREMA DECIMUM.

Unionis hujus Hypostaticæ effectum est idio-
matum $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha$, quam Latini PROPRIETATVM
COMMVNIONEM seu communicationem vertunt.

1. Valere iustis Calvinianorum clamoribus, qui Unionis hypostaticæ for-
male à nobis $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha$ proprietatum constitui mentiuntur: quid
de isthac pie sentiendum sit porro explicabimus. Quia enim
natura in unam hypostasim sunt unita, proprietatum quoq; vera ac
realis sit communio necesse est. Ut enim causam in actu positam
effectus necessario sequitur: ita IDIOMATVM COMMV-
NIONE M conficemur esse necessarium ac immediatum con-
sequens Unionis hypostaticæ. Quo fit, quia res melius & facilius
intelligi possunt, si ex effectibus describuntur, sitq; hoc Unionis
mysterium verè $\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\lambda\omicron\nu$, ut Scriptura eam per proprietatum Com-
munionem non uno in loco proponat & explicet.
2. Notandum verò est vocabulum $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\nu\iota\alpha$ interdum pro ipsâ Vnionem
naturarum hypostaticâ, interdum & quidem frequentissimè pro
effectu, unionem constitutam immediatè consequente à Theologis
accipi: posterior significatio est hujus loci propria.
3. Observandum & illud venit, quòd, quoniam assumpta Natura &
Persona assumptis sit dissimilis conditio, hinc idiomatica divina
possint dici, quòd sint Natura assumpta primò ac propriè communi-
cata,

cata; de assumente verò Personâ impropiè dicitur, quod ei aliquid primo communicetur, sed illa sibi humana idiomata facit propria, & ut Theologi loquuntur, appropriat, sicq; humana appropriando *ὡς τὸ εἶπε καὶ οὐκ ἔλαβεν*. Heb. 2. 14. 16.

4. Ceterùm quæ ista sint tam divina, quam humana naturæ proprietates hoc loco ceu præcognitum supponimus.

THEOREMA VNDECIMVM.

Est verò hæc proprietatum Communicatio, ut ita loquar, realissima.

1. Calviniani esse quidem proprietatum communionem inficiari non audent, sed eam non nisi verbalem ac Grammaticam asserunt, quod nimirum multa quidem præclare de humanâ naturâ dicantur, multa quoq; abjectè de divinâ naturâ prædicentur, quæ naturis istis sint communicata: quæ tamen nomine seu verbotenus tantum sint vera.
2. Verùm illis, vulgò quod dici solet, inelamamus: Verba sine rebus esse sonora *MENDACIA*.
3. Et si idiomata naturis, de quibus prædicantur, non *ὄντως*, seu realiter insunt, nec vera esse potest enunciatio. Quod enim *τὸ ὄν* est in rebus, id est *τὸ ἀληθές* in verbis. Et ex Nazianzeno recitat Theodoretus dial. 1. regulam: Qualis quæq; res est, talis de eâ prædicatur veritas.
4. Reale verò nobis non est synonymon cum Physico: Omne quidem Physicum non diffitemur esse reale; at non contrâ.

THEOREMA DVODECIMVM.

Vsitatè verò Communicatio Idiomatum in tres modos seu tria genera distribuitur.

1. Scholastici unum duntaxat illum, qui nobis primus est, Communicationis modum tradiderunt. Scriptura verò non uno, sed tribus diversarum enunciationum generibus utitur, quando de Emanuele nostro

nostro ac Θεωθωπῶ Christo aliquid enunciat. Aut enim alterutrius naturæ τὰ ἴδια toti personæ tribuuntur in concreto, seu, ut alij loquuntur, παρῶνύμως; aut utriusq; natura κατὰ in mutuo operationum concursu ad unum ἀποτέλεσμα, quod integra persona secundum utramq; naturam operata dicitur, ostenduntur; aut peculiaris charismata divina natura tribuuntur humane in Christo nature in abstracto.

2. Breviter: Communicatio Idiomatum alia est à Naturâ, sive alterutra seorsim ad Personam, sive ab utrâq; junctim ad eandem Personam; alia vero à Naturâ ad Naturam.

3. Quemadmodum & Damasc. lib. 4. cap. 19. tres ejusmodi constituit gradus: unum ἐν τῷ κρείττονι, quem ἴσωςιν σαρκὸς καὶ ὑπερβύσωςιν nominat, quiq; nobis tertium genus est. Alterum (qui nobis est primum) ἐν τῷ ἐλάττω, quem vocat ἐκένωσιν. Tertiam (qui medius nobis est) ἐξ ἀμφοῖν, quem χεῖσιν καὶ κοινωνίαν, Vnctionem & societatem dicit.

4. Sed & alijs appellationibus distincta hæc communicationum genera idem Damascenus insigniuit. I. quidem ἀλλοίωσιν καὶ ἀνέλιθοσιν II. πείθεσιν 3. μετέδοσιν appellavit.

5. Sed placet nunc vulgatas istas voces, quas ex Cyrillo præceptores nostri sunt mutnati, servare. Ut priorem quidem communicationis gradum Ἰδιωποιίαν, alterum Κοινωνοποιίαν, posteriorem Μετέδοσιαν appellemus.

THEOREMA DECIMUM TERTIUM.

Primum Communicationis genus est, quando unius naturæ ἰδιωμα toti personæ tribuitur in concreto, respectu ejus naturæ cujus est idioma.

1. Scio alios hunc primum gradum arctius proponere & eas solum propositiones sub eo complecti, in quibus humana nature propria tribuuntur divinitati in concreto. Sed ne novitati studere videamur

- mur, placet vulgare istam docendi ratione servare, ut sub hoc primo genere cōplectamur eas omnes prædicationes, in quibus de concreto personā significante prædicatur alterius natura proprietates.
2. Atq; hoc genus ut rectius intelligatur, quatuor videtur conditionibus commodissimè explicari posse. I. Sciendum est Concretum hoc loco dici non naturā alterutram, sed personam vel ab alterā vel ab utrāq; naturā denominatam; Abstractum verò ipsam naturam E. g. Deus, Homo, Christus, Mediator &c. sunt concreta, abstracta sunt Deitas, humanitas.
3. II. Enunciationes in hoc genere sunt semper cōcretivæ, hoc est, Subiectum enunciationum primi huius generis habet notationem personæ. e. g. Act. 20. 28. Deus sanguine suo redemit Ecclesiam. Zach. 12. 10. Iehovam creatorem Cœli & terra compunxerunt; Non autem pie dico: Deitas redemit sanguine, &c.
4. III. Prædicatum harum enunciationum (quod alterutrius natura φυσικῶς est proprium) distinguitur καὶ ἀπὸ, sive determinatur particulis, Quatenus, iuxta, Ex, In, & ceteris distinctivis, quæ, secundum quam naturam attributum de supposito seu personā prædicetur, ostendunt. Rom 1. 3. Filius DEI est natus ex semine David, SECVNDVM carnem 1. Pet. 4. 1. Deus est passus pro nobis IN carne. In quibus verò particula ista discretè non exprimuntur (e. g. Act. 3. 15. Gal 4. 4. Rom 8. 32. &c.) In his & similibus sunt ista determinationes ex aliis Scripturarū locis semper subintelligendæ. Ac proinde veræ sunt & illæ enunciationes: Deus est bimestris, trimestris &c. sic Christus homo est æternus, infinitus, hoc est, Persona, quæ DEVS est, realissimè & verissimè est bimestris, trimestris, non tamen secundum Deitatem, sed secundum humanitatem. Et rursus: Persona, quæ verè est homo, verissimè & realissimè est æterna & infinita, secundum divinitatem, non humanitatem.
5. IV. Particula ista non sunt χωρισταί, quasi alteram naturam ab altera separant

separent & excludant, sed I. *ἄνευ ἑκάστου*, ut quæ suam cuiusq; natura proprietatem determinent ac distinguant, ne Naturam a Natura planè absorptam ac immutatam arbitremur. II. sunt *ἰδέονται τὸ κατὰ αὐτὸ αἰθερῶς*, & continent primam & per se causam, cur ista fiat *ἀλλοίωσις*, quòd nimirum, quia DEVS sit per essentialitatem *ἀπαθής*, nihilo tamen minùs pati & crucifigi potuerit.

6. Hisce igitur observatis frustra agit, qui nostris Ecclesiis vel Nestorij Personam distrahentis, vel Eutychetis Naturas confundentis hæresin imputet; à quâ calumniâ primus sic communicationis gradus piè secundum Scripturam explicatus nos absolvit; quo ejusmodi prædicationes contineri dicimus, quæ in subjecto contra Nestorium collocant personam unitatem; in prædicato contra Eutychen naturarum diversitatem.

7. Anathematismus itaq; Ephesini Concilij tertius Nestorio oppositus hanc Idiomatum Communicationem concludat: Si quis in personis duabus vel subsistentiis eas voces, quæ in Apostolicis & Evangelicis scriptis continentur, dividit & aliquas quidem ex his velut Homini, qui præter DEI Verbum specialiter intelligatur, aptaverit; illas autè tanquam dignas Deo, soli Dei Patris Verbo, anathema sit.

THEOREMA DECIMUMQUARTUM.

Secundum Communicationis genus est, quando communicationes utriusq; naturæ operationes de personâ *ὁλοῦς* enunciantur.

1. Secundum hunc gradum iterum quatuor membris distinctim explicamus I. Eadem quidem naturarum idiomata hic considerari dicimus, quæ in priori genere fuerunt, sed non quatenus sunt singula suis naturis propria, sed quatenus conjunctim ad unum *ἀπαθέα* producendum concurrunt, adeoq; quæ propositiones loquuntur de Officio Christi, ejusdemq; executione, ut quod est Redemptor, Matth. 20. 28. Redemptio, Iustitia 1. Cor. 1. 30. Sacerdos, Hebr. 2. 17. &c. ad alterum hoc genus fuerit referendum.

2. II. Sciendum ea quæ ad officij executionem pertinent non ab alterutra duntaxat Naturâ, sed ab utraq; simul proficisci. Est enim ἐνέγγυα Mediatoris, seu, ut Salvator ipse loquitur, boni illius Pastoris, ponēdo animam pro ovis dare eis vitam æternam Ioh. 10. v. 10. 11. In quo opere due simul ἐνέγγυα seu operationes concurrunt, nimirum & animam seu vitam perdere, & æternam vitam aliis imperiri: prior humana; posterior divina natura est propria.
3. III. Ex quo consequitur tertium; Vitamq; quidem naturam agere quod suum est, sed cum alterius communione, ut Leonis Papæ regula in Epist. 10. ad Flavianum, quam veteres Fidei columnam dixerunt, habet. In actionibus Christi miraculosis, quæ vetustati dictæ fuerunt *θεαυραγία*, res est perspicua, quomodo ad unum producendum ἀποτέλεσμα due diversa duarum diversarum naturarum operationes simul per mutuam κοινωνίαν concurrant.
4. IIII. Ex quo ultro resultat & quarta observatio, operationem nimirum esse duplicem, unum vero opus; opus enim est persona, quæ agit secundum diversas naturas, causam agendi suppeditantes; unde & operationum diversitas in uno opere facile animadvertitur.
5. Nec in hoc igitur genere nobis ulla omnino metuenda est vel Euty-chiana naturarum confusio, quippe cum earum distinctiones ex distinctis, quas ponimus, operationibus consisteamur: vel Nestoriana τῶν ἀποτέλεσματων distractio: Siquidem utriusq; natura propria in actionibus communicari ostendimus, ut sic actiones communicatæ unius persone in unum effectum deducantur.
6. Conclusionem igitur huius secundi generis faciat regula Damasceni lib. 3. cap. 14. Agit utraq; natura cum alterius communicatione, quod proprium est, verbo scilicet operante, quod verbi est: carne exsequente, quod carnis est: non tamen διγενήδους, sed ἡνωμένους.

THEOREMA DECIMUMQVINTVM.


Tertium communicationis genus complectitur prædicationes, quæ naturam humanam increatis ac planè divinis donis in tempore ditatam pronunciant.

1. Est


1. Est theorema hoc maxime contra Calvinianorum blasphemias virulentissimas directum. Quae verò nostra sit de illo confessio orthodoxa, secundum certa membra quam fieri potest brevissime & accuratissime, at ὀρθόδοξως, εὐαγγελικῶς ἔκ παλαιῶν proponemus.
2. PRINCIPIO igitur asserimus, non novum, non inauditum hoc Communicationis genus esse; nisi hodie, & à nobis primitus id dictum quis arbitretur, quod tùm Servator de seipso asseverat, Matth. 11. 27. Omnia mihi tradita sunt à Patre; tùm tota Orthodoxa Antiquitas attestatur, cujus sexcenta penè testimonia, qui cognoscere volet, in Appendice Form. Concordia querat.
3. DEINDE; Non hoc loco de istâ majestatis ac gloria divina ἡμεῶν agitur, quae est ab aeterno inter Patrem & Filium, quatenus Pater suam majestatem in unitate essentia per aeternam generationem Filio ab aeterno communicavit.
4. TERTIO; Valet autè hîc regula Athanasij à Theodoro dial. 2. citata: Ὅσα λέγει ἡ γραφή, ὅτι ἔλαβεν ὁ υἱὸς ἔδοξά αὐτῆ, ἄλλ' τὴν ἀνθρώπου τῆς αὐτοῦ λέγει, ἔ τὴν θεότητα.
5. QUARTO; Omnia verò Deitatis idiomata essentialia, quae eam à creaturis distinguunt, Carni assumpta communicata & in Christo ἑνωτικῶς ἔκ παλαιῶν ἔκ παλαιῶν inhabitare confitemur, juxta illud Apostoli Col. 2. 9. TOT A Plenitudo Deitatis inhabitat in Christo σωματικῶς.
6. QUINTO; Quum verò non omnium divinorum idiomatum, quatenus θεῶν ἔξω ἔκ ἐνεργητικῶν considerantur, par sit ratio: nec parî etiam modo Carni communicata dici possunt; Alia quidem ἐποικτικῶς & implicite communicantur, ut AETERNITAS, INFINITAS, IMMENSITAS, SPIRITUALITAS ejusq; generis, alia Deitatis propria; Alia verò sunt assumpta carni primò & immediate communicata, quorum sex Scriptura exprimit, I. OMNIPOTENTIAM. II. OMNISCIENTIAM. III. OMNIPRAESENTIAM. IV. VIVIFICANDI VIM. V. CULTVM ADORATIONIS. VI. POTESTATEM IUDICIARIAM; de quibus cum pleni ex-
tent

- tent Theologorum commentarij didactici & polemici, nos ut plenius de ijs commentemur, opera parcimus.
7. SEXTO; Caro autem non habet in Seipsâ, tanquam in subjecto, divina isthac idiomata, sed in personâ λόγος.
8. SEPTIMO; Ac proinde hæc propriorum divinorum communio non est essentialis, non habitualis, non naturalis, non verbalis, sed Realis, & quidem Personalis. Qualis enim est Unio, talis & Communio.
9. OCTAVO; Sed & de datis Christo in tempore sciendum, non esse absurdum, unum idemq; Carnis donum & Patri & Δόγῳ ascribere, quòd scilicet & Filius habeat divinam potestatem à Patre, & quòd assumpta natura eandem numero acceperit à Δόγῳ assumente. Vide Augustinum Ser. cont. Arian. c. 11.
10. NONO; Est verò & hic propriorum communicatorum distinctio observanda, ut quòd idioma Δόγῳ assumens habet per naturam seu essentialiter, idem omninò Caro assumpta habere dicatur per unionis gratiam seu personaliter. Rom. 9. 5. Phil. 2. 9.
11. DECIMO; Non est par ratio prædicationum primi & tertij hujus generis. Verè enim secundum hunc gradum credis, Carnem Christi esse omnipotentem; falsò autem dixeris, Deitatem Christi esse passam. Ratio diversitatis est: siquidem Natura divina sit simpliciter immutabilis, proinde nec in meliorem, nec deteriorem conditionem mutari possit; Humanitas verò Christi est naturâ suâ mutabilis ac per unionem hypostaticam potuit perfici ac in statum meliorem facillè transferri. Quam propositionum diversitatem & Augustinus animadvertens, contra Eclitician. inquit: Injuria sui corporis affectam non fateor Deitatem, sicut Majestate Deitatis glorificatam novimus carnem.





1. *Est theorema hoc maximè contra Calvinianorū rulentissimas directum. Quæ verò nostra sit a doxa, secundam certa membra quàm fieri p accuratissimè, at ὁρθοδοξως, εὐαγγελικῶς ἔ πατε.*
2. *PRINCipio igitur asserimus, non novum, non t municationis genus esse; nisi hodie, & à nobis quis arbitretur, quod tùm Servator de seipso 27. Omnia mihi tradita sunt à Patre; tùm to quitas attestatur, cujus sexcenta penè testim volet, in Appendice Form. Concordia querat.*
3. *DEINDE; Non hoc loco de istâ majestatis ac gl agitur, quæ est ab æterno inter Patrem & Fil suam majestatem in unitate essentia per æter Filio ab æterno communicavit.*
4. *TERTIO; Valet autè hîc regula Athanasij à The ta: Ὅσα λέγει ἡ γραφή, δι' ἑλαβεν ὁ υἱὸς ἡ ἰδοξά πότις αὐτοῦ λέγει, & τὴν θεότητα.*
5. *QUARTO; Omnia verò Deitatis idiomata esse creaturis distinguunt, Carni assumptæ commi sto ἑποσειλικῶς ἡ σεσαρκωμῶς inhabitare confi Apostoli Col. 2. 9. TOTA Plenitudo Deitatis sto σαρκικῶς.*
6. *QVINTO; Quum verò non omnium divi norma tenus παρ' ἑξω ἡ ἐνεργητικῶς considerantur, pa etiam modo Carni communicata dici possunt; & & implicite communicantur, ut AÆternitas, tas, Spiritualitas ejusq; generis, alia Deit verò sunt assumptæ carni primò & immea quorum sex Scriptura exprimit, I. O M N I II. O M N I S C I E N T I A M. III. O M N IV. V I V I F I C A N D I V I M. V. C V L T V M A VI. P O T E S T A T E M I V D I C I A R I A M; de q*



ias vi-
ori ha-
mè &
us.
Com-
ictum
th. 11.
Anti-
oscere
εινωία
Pater
ionem
c. cita-
ειδρω-
eam à
Chri-
illud
Chri-
qua-
c pari
μῶς
pensi-
Alia
icata,
A M.
I A M.
N I S.
i ex-
tent